



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 16. Rumores de Lutheri raptu sparsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

bergense castrum in monte non procul ~~secul. XVI.~~  
 ab Alsteto in deserta Saxoniae regione ~~A.C. 1521.~~  
 situm abducebant, ubi Lutherus novem  
 omnino mensibus latitavit, & quidem  
 laute admodum habitus fuit, hominum  
 tamen accessu privatus, atque adeo dex-  
 tre hæc fabula adornata fuit, tantaque  
 fide, ac silentio res peracta, ut nullaten-  
 nus, ubi Lutherus lateret, explorari po-  
 tuerit. Quinimo testantur Scriptorum  
 nonnulli, quod Saxoniae Elector, ubi  
 delitesceret Lutherus, de industria scire  
 noluerit, ut interpellatus a Papa aut  
 Cæfare dicere posset, omnino ignorare  
 se, quo loco hic Monachus esset.

## §. XVI.

*Rumores de Lutheri raptu  
sparsi.*

Cum vero brevi de Lutheri raptu fa- *Pallav. l.e.*  
 ma ubique divulgaretur, Aleander *c. 28.*  
 hac de re sumnum Pontificem certio-  
 rem reddidit: Cæsar quoque Carolus  
 V. æque ac plurimi alii prudentiores  
 Viri, quod res erat suspicabantur. Non  
 deerant tamen ex Lutheri fautoribus,  
 qui passim spargerent, quod Romanæ  
 Curiæ emissarii illum occidissent, aut  
 faltem violata fide publica hominem in  
 vinculis detinerent. Alii etiam eo te-  
 meritatis processerunt, ut se ejus cadaver  
 gladio

**Sæcul. XVI** gladio transfoſſum in quadam argenti  
**A.C. 1520.** fodina reperiſſe palam edicerent: quæ  
 res tam prope ad ſeditionem ſpectare  
 videbatur, ut Caracciolum, atque Aleander  
 ambo Pontificis Nuncii, aliunde  
 Lutheranis admódum exoſi in magnum  
 vitæ diſcriſmen adducti cenferentur. In-  
 terea vero Cæſar, quid confilii in præ-  
 ſenti rerum ſtatu ante ſoluta comitia ca-  
 peret, cum S. R. I. Elecotoribus ac  
 Principibus deliberabat, conuentumque  
 eſt, edictum adverſus Lutherum eſſe  
 promulgandum. Ergo illud die ſexta  
 Maji conficitur, duoque illius exempla  
 quorum unum latine, alterum vero ger-  
 manice erat scriptum, Cæſari offerun-  
 tur. Hic tum in templo adfuit, Auli-  
 corum frequenti corona ciñetus, atque  
 innumera confluentis populi multitudi-  
 ne ſtipatus, ibique festivifimo vultu u-  
 trumque edicti tranſumptum Cæſarea  
 subscriptione firmavit, adſtantibus Mo-  
 guntino, & Sedunensi Cardinalibus, qui  
 illud quoque signaverant. Jam prius  
 vero illius formula perlecta, atque in  
 conuentu die octavo Maji, qui eo anno  
 dies erat Dominica divinæ Triadi Sa-  
 cra, approbata fuit: Postquam igitur  
 omnes ejusmodi ſolemnitates fuerunt  
 adhibitæ, edictum conſuetis typis edi-  
 tum, ac undique pervulgatum eſt.

§. XVII.